

# TITULUS VI.

## *Colossi, & Statuæ per Civitatem erectæ, & prodigiosæ Imagines Religiosè cultæ.*

**S**olebant Ægyptii, ut immortale sibi apud posteros nomen compararent excelsos per urbium compita Colossos, & Pyramides erigere, in quibus aut ficticia sua adorabant Numina, aut mortuos Reges superstitiosâ religione sepelirent. Quem morem imitati populi alii, ut & famam auerent suam, Urbesque suas redderent gloriosas, diversas per fora Columnas, diversas in Columnis Statuas extruebant, quæ vel in triumphantium Belliducum æviternam gloriam, vel in Deorum, Dearumque suarum honorem erigebantur. Vienna ut nobilissimarum quoque Civitatum vestigia premeret, ac velut apis ex floribus non nisi suavissimum mel colligeret, præteritis, aut superstitionis, aut Ethnicæ perfidiæ monumentis, iis ornata triumphat Colossi, & Statuis, quæ ex Majestate, & decore, sumptibus, & impensis famam, & memoriam merentur sempiternam.

Numerat autem Urbs tota non nisi binas, quas pietate, & cultu, & religione in Superos Gloriosissimus Imperator Leopoldus, Cæsareâ, id est Munificentissimâ liberalitate, & affectu erigi fecit, & ædificari. Prima, quæ & ab arte, & magnificentia commendabilis, in foro cui ab aula antiqua nomen, è regione faciei Ecclesiæ Domûs Professæ erecta est, tota ex ære fuso, & deaurato posita anno 1667. Immaculatæ Dei Genitricis statuâ ex Metallo eodem conspicuâ. Solent hic in festorum Magnæ Matris Vigiliis, festisque diebus coronati vertices non modicâ sui in Virginem illibatam amoris contestatione, ædificatione populi, hæreticorum consternatione, colla, & genua flectere, cantatis interesse Litanis & precibus, & publicas decorare hanc ad columnam Processiones.

Alterâ, quam idem Augustissimus Imperator Leopoldus magnis exstruxit impendiis in foro à fossa dicto conspicitur. Opus est omnium judicio Romanorum dignum Imperatore. Columna per modum pyramidis prominentibus undique artificiosè nubium globis, & superimposita cuspidi fulgentibus auro radiis SSS. Triade in signum gratitudinis ob depulsam gravem luem, quæ Viennensium Urbem anno præteriti sæculi 79. graviter corripuit, in honorem Unius, & Trini Numinis est erecta. Posuit Augustissimus ipse 30. Julii 1682. magnâ solemnitate fundamentalem lapidem, cui anno post decimo, nempe 1692. moles tota, quam artificiosissimus omnium illo tempore statuarius elaboraverat, ipso Festo SSS. Triadis die innumero populi admirantis, & obstupescantis aersu, conjuncta, ritu solemnè à Reverendissimo Viennensium Episcopo ter uni Numini est consecrata. Ardentes circum lampades, & con-

stans alternantium militum Custodia, operis non modicè augent Majestatem.

Subnectimus his binos Colossos alios, qui binis in fontibus positi magnam vicinæ suæ conciliant venustatem. Fons unus è regione Cervi aurei in foro, cui à fossa nomen, positus, & mole, & gratiâ est insignis, profluit è quatuor Leoninis capitibus in suppositam Concham aqua: in supremitate S. Christi Nutritium eleganti in statua continet, dextrâ Liliû, sinistrâ cor tenentem, & quasi per aquarum profuvium, gratiæ rivus effundentem.

Fons alter penes Coronam auream in fossa eadem ex octo lapideis capitibus, & quatuor Delphinis aquam in excavatam Concham protrudit: statuâ D. Leopoldi dextrâ Ecclesiam, lævâ vexillum sustentantis est insignis.

Sed habet Viennensis Urbs præter dicta pietatis Cæsareæ Monumenta plurima tam intra, quàm extra Civitatis muros Palladia, quibus non tam defendi, quàm ornari Urbem necesse est, non multa templa reperies, quæ prodigiosis non abundant Dei, Divorumque imaginibus, in quibus cælum suam ostendit virtutem, potentiam exhibet copiosis: quas si enumerare vellemus, templa ferè singula recensere foret necesse, eas solum adferemus; quæ magis per Urbem, & Provinciam celebres frequentiori hominum concursu, & devotione coluntur.

Ad S. Stephanum miraculosa servatur Deiparæ imago, quam à loco, unde allata Beatæ Virginis in Boëz nominamus, multis imago hæc post fusas lacrymas clara prodigiis, ingenti hominum copia quotidie visitur, ac solemnè quotidie Sacro, & Litanis, sæpius etiam tubarum, tympanorumque clangore, ac publicis ad eam ex aliis locis Processionibus honoratur. Ostendunt id sufficienter suspensa anathemata, quæ sine numero ad ejusdem Aram afferuntur. Est & alia non minùs celebris B. Virginis in eadem Basilica Imago, cui etiam anno elapso novum ex Marmore est erectum Alrare.

In Aulico RR. PP. Ord. S. Augustini Templo prodigiosa Deiparæ Virginis Lauretanæ Imago, & Sacellum est, tam horrore sancto, quàm pietate plenum: pendent ante hanc plurimæ argenteæ lampades, molis non exiguæ, quas multorum in Divam Virginem obtulit affectus.

Alia Beatissimæ Virginis sub titulo Auxiliatricis non modicâ pietate, & devotione videtur celebrari in *Neubau*/cujus cultum promovere strenuè adlaborant RR. PP. Ord. Cleric. Reg. D. Pauli, qui inibi residentiam, ut vocant, habent, dum quotidianis Sacrificiis, festis Con-

cionibus, &c. Populi in Patronam suam amorem conservant, & inflammant.

In Suburbis ad S. Udalricum in Templo Parochiali Deiparæ Imago plurimis clara miraculis colitur, quam ante elapsos duos annos in publica Processione multitudine innumerâ comprecantium circumferri, ac ad Templum RR. PP. Ordinis S. Benedicti ad Scotenses portari ipsa vidit Civitas Univerſa.

Alia demum ejusdem Thaumaturgæ Virginis prodigiosa Statua, & per alias nota terras in *Biezing* / non procul à novo Romanorum

Regis Palatio in Templo pro hominum affluentium multitudine nimium angusto conspicitur, quæ à pluribus RR. DD. Canonicis Reg. Claustro - Neoburgensibus Ord. D. Aug. hic habitantibus administratur.

Plures tam intra, quàm extra Civitatem, & singulis propè in Regularium Templis Divinæ reperies misericordiæ, quæ per Matris suæ, aliorumque Sanctorum Icones, & Statuas liberalissimè profundit, argumenta, quæ tamen quia copiosa nimis, ne molestiam causemus Lectori, prætermittimus.



## TITULUS VII.

### *Officina variæ, Campsores, & Aurarii.*

**Q**uam communi bono utilitatis, Civitatibus, imò & Provinciis integris splendoris afferant commercia publica, & Mercimonia, testantur adhuc hodie tot Republicæ in florentissimum Statum evectæ, ditata æraria, Principes, & Cives locupletati, ut ob id inutile fore judicarem, si pluribus id ostendere laborarem: vel sola Vienna nostra ad eas provecta opes, & opulentias, eoque conspicua honore, & gloriâ id abundanter ostendit, quam, quodd futuris conservabit temporibus, argumento sunt, tot Mercatorum nobilissimæ officinæ, quot in aliis etiam amplissimis Urbibus vix reperies; nam si eas tantum, quas muri Civitatis includunt circuitu, computemus, numerum sanè non exiguum inveniemus. Introducta autem sunt Mercimonia hanc in Viennensem Civitatem, ut inquit Lazius l. 2. c. 8. an. 1100. quæ tamen ob concessa à Ducibus suis maximè Leopoldo VI. Privilegia varia anno 1200. flores magis, ac magis inceperant, donec ad statum hunc, quo jam ea vigere videmus, pervenerunt. Et, ut ab iis initium faciamus, in quibus merces non quidem per officinas publicas venales quotidie prostant, sed à quibus mercatores cæteri, quibus emptas mensurâ, vel pondere distrahere mos est, ac ulnatim, libratimque divendere, res coëmunt, & quos idcirco vulgus *Widderlâger* appellat, quadraginta & octo numerantur eorum officinæ, una in busto (*Brandstatt*) in foro Judæorum binæ, in *Bienmarck* 4. in aula una, in *Wolzeil* duæ, in inferiore Pistorum platea 3. in plateola S. Crucis 1. in vetere lanionum foro undenæ, 7. in Carinthiaca, in foro alto 1. In aula cui à *Gundl* nomen est, quaternæ, in fossa 1. in aula Kelleriana duæ, in vetere Rusticorum foro octonæ.

Aliæ Mercatorum pannos, sericeasque materias secundum ulnas dividentium officinæ, quas idcirco *Tuchlâden* nuncupant, recensentur in Cœmeterio S. Petri septem, in plateola Virginum binæ, in foro novo 1. in Carinthiaca 15. in foro alto 10. in *Tuchlauben* 8. in foro herbario 12. in foro Carbonario 1. in vete-

re Rusticorum 2. quæ numero suo conficiunt 58. Aliæ in quibus aromata, aliâve distrahuntur, & ob id officinæ aromaticæ dicuntur, diversas per plateas & fora habentur 49. in platea *Wipplingana* 1. in aula 1. in *Haidenschuß* 1. in fossa profunda 1. in Cœmeterio S. Petri ternæ, in plateola, cui à piliatoribus (*Zutstöpfer*) nomen est una, in foro novo itidem una, in *Wolzeil* binæ, binæ etiam in Pistorum inferiore platea, in plateola ad S. Crucem totidem, in lanionum vetere foro non pauciores, in Carinthiaca decem & sex, in foro alto 4. in *Tuchlauben* ternæ, in fossa quinque, in Carbonario foro una, & tandem in vetere Rusticorum foro ternæ. Officinæ eorum, quos vulgari nomine Materialistas compellant, qui res varias pretiosas omnis sortis distrahunt, sunt ad Portam Paulanam 1. in Carinthiaca binæ, binæ item in foro à fossa dicto, & 1. in Cœmeterio S. Petri. Officinæ, ubi res ferro elaboratæ venduntur, & quarum Mercatores ferrarios (*Eysler*) nuncupant, in platea Carinthiaca habentur 13. Librorum officinæ, quibus Bibliopolæ præſunt, tredecim universim per Urbis districtum computantur, in platea à S. Dorothea dicta 1. in busto 1. in claviariorum platea 1. in Cœmeterio S. Petri 1. in *Bienmarck* 2. in plateola pileatorum 1. in Carinthiaca 1. in foro alto 1. in fossa 1. in foro Carbonario 2. intra catenam 1.

Sunt & officinæ aliæ his inferiores propè innumeræ per plateas omnes dispersæ, eorum, qui auro argentoque sericeæ materiæ intertextas res distrahunt 20. qui diversa vestimenta sericea tam acu picta, quàm contexta unâ cum pretiosis ligaminibus vendunt 63. Qui Telæ diversæ sortis monopolia tractant 21. &c. sed hæc omnia attingere potius, quàm fufius enarrare placuit.

Neque hîc prætereundæ sunt officinæ eorum, quæ auro argentoque divites, tam arte, quàm pretio celebres in se continent, rarasque merces; qui iis præſunt, communi voce Argentarii, vel Aurarii (*Gold oder Silber Zuberliet*) nuncupantur. Primariæ sex recensentur